

**Dissertatione Exegetico-Dogmatico-Morali Vera Sinceri Sectatoris Christi  
Requisita Ex Locis Matth. XVI, 24. Marc. VIII, 34. Luc. IX, 23. Inter Se Collatis  
Deducta**

Ienae: Ritter, 1733

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830010033>

Druck Freier  Zugang





Vin. Proprietat. sive Dupl.

71

572

Fa-1092 (ii.)

- N. 1. Wippel *Labrum sub Daniel Eremita.*
- N. 2. Christoffelius *lingularia octingenfia*
- N. 3. la providence ne s'interesse point à l'individu mais à l'espece.
- N. 4. Tychsen *abbreviaturarum hebraicarum supplementum l.*
- N. 5. Burfeker de *gaza derelicta futura ad illustrandum locum Zeph.*  
 xl. 4. *Dissertatio postposita.*
- N. 6. Ernesti de *preparata corporis et sanguinis Christi in coena sacra.*
- N. 7. ~~Ernesti~~ *de Concilio Tridentino part. l.*
- N. 8. Aepinus *Imp. Caroli Ch. merita in rem sacram.*
- N. 9. Charvicius de *sapientia sanctissima rite colenda.*
- N. 10. Tychsen de *delectu veterum ebraeorum dissertationis l.*
- N. 11. Witte de *genuina S. G. uniuersali natione.*
- N. 12. Boederlein de *finibus theologiae dogmaticae et moralis recte constitutendis.*
- N. 13. Weidenes *quod salus aeterna non meritis nostris sed solum Dei gratia per meritum Christi acquiritur ne talis*
- N. 14. *Dem Regentis male regens et fanatici reditum ad Papismum frustra suadent.*
- N. 15. Rufius de *veris sinceris peccatoris Christi requisiti etc.*
- N. 16. Zauche de *lege aequilibratae in natura obseruata etc.*
- N. 17. Schmid Verſio *Alexandrina optimum interpretationis librorum sanctorum praedictorum*
- N. 18. Richter de *theologo Dei Romine ad 2 Thim. III. 17.*
- N. 19. Schubert de *iudicio Joannis Caluini et Figurorum in causa Haereticorum*
- N. 20. Zachariae de *usu dogmatico nomini filii Dei.*
- N. 21. Emmerling *interpretatio. Num. XXII. 20-31.*
- N. 22. Hoerſchelmau de *diuina punctorum vocalium et acentuum codicum hebraici origine.*
- N. 23. Haempfer de *modo praedicationis Paulinae per exegesis dicti l. Col. II. 4. 5.*
- N. 24. *Dem de modo praedicationis etc.*
- N. 25. Haestner *Erkenntnisgrund des Unsterblichkeits des menschlichen Geistes.*
- N. 26. Christoffelius de *vita Pamingerorum commentarius etc.*
- N. 27. Becker *quaestio: an aeterna annihilatio hominum peccatorum fore etc.*

- N. 28. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fredericanae Büttowien-  
 N. 29. Fauvotius de poena hereticorum etc.  
 N. 30. Doederlein de vero usu atque abusu rationis humanae in rebus divinis  
 N. 31. Dem de usu atque abusu rationis etc.  
 N. 32. Rector Academiae Lipsiensis Pentecostales ferias etc.  
 N. 33. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fredericanae Büttowien-  
 N. 34. Academiae Fredericanae Büttowienfis Rector et senatus acade-  
 micus memoriam resurrectioni Christi etc.  
 N. 35. Dem solemnia natalia Domini nostri Jesu Christi etc.  
 N. 36. Zachariae Christus  $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma\ \epsilon\kappa\ \tau\omega\upsilon\ \rho\epsilon\gamma\eta\omega\upsilon\upsilon$ .  
 N. 37. Rector et senatus academicus Büttowienfis etc.  
 N. 38. Zachariae Christus  $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma$   
 N. 39. Rector et senatus academicus Büttowienfis etc.  
 N. 40. Marrius de jurisprudentia divina ex codice sanctissimo.  
 N. 41. Becker an Gn. D. Teller nisi negata vera spiritus sancti deitate etc.  
 N. 42. Dem an Christus in sua explanatione et ascensione etc.  
 N. 43. Chryzander de fundamento explanationis Christi Romini maiestatis  
 N. 44. Dem recensio scriptorum eruditorum  
 N. 45. Rottboell de vestibus et calceis Israelitarum.  
 N. 46. Trendelenburg de Judaeis etc.  
 N. 47. Ministerii quae hinc hinc Pastoralis scripturae etc.  
 N. 48. Rector universitatis ad solemnia paschalia etc.  
 N. 49. Quistorp de ratione modoque quo peccati fomes etc.  
 N. 50. Becker creationis universi gloria filio Dei etc.  
 N. 51. Quistorp de  $\lambda\omicron\gamma\omega\ \text{Pauli}$  (Cor. 1. 5).  
 N. 52. Prier de sanctis angelis et apostolorum etc.  
 N. 53. Detharding de cura infantum recens natorum penes etc.  
 N. 54. Martini de non usu iudicii denuntiatorii in Megapoli.

*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIONE  
EXEGETICO - DOGMATICO - MORALI  
**VERA SINCERI  
SECTATORIS CHRISTI  
REQVISITA**

EX LOCIS MATTH. XVI, 24. MARC. VIII, 34. LVC. IX, 23.  
INTER SE COLLATIS DEDVCTA

---

*SVB AVSPICIO SVPREMI NVMINIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
GVILIELMO HENRICO  
DVCE SAXONIAE ET MARCHIAE CLIVIAE MONTIVM AN-  
GARIAE WESTPHALIAE ET RELIQA*

*PRAESIDE  
IOHANNE REINHARDO RVSSIO  
THEOL. DOCTORE ET PROF. PVBL. ORDINARIO*

*PATRONO PRAECEPTORE AC HOSPITE SVMMA PIETATE COLENDO  
IN ALMAE SALANAE ACADEMIAE THEOLOGICQ  
D. VIII. AVG. M DCC XXXIII.*

*PVBlicae ERVDITORVM DISQVVSITIONI SVBICIT  
RESPONDENS AVCTOR*

**CAROLVS FERDINANDVS TREV**

*HAFNIA - DANVS. SS. MINIST. CANDIDATVS.*

---

*GENAE, LITTERIS RITTERIANIS.*

D I S S E R T A T I O N  
I N P H I L O S O P H I A  
**V E R A S I N C E R I  
S E C T A T O R I S C H R I S T I  
R E Q U I S I T A**  
A U C T O R I S  
M A G I S T R I  
D O M I N I  
**G V I L I E L M O H E N R I C O**  
P R A E S I D E  
**I O H A N N E R E I N H A R D O R A S I O**  
P R O F E S S O R I S  
P U B L I C I  
I N A C A D E M I A  
D O M I N I  
**C A R O L O S F E R D I N A N D O F R E Y**  
P R O F E S S O R I S  
P U B L I C I  
I N A C A D E M I A  
D O M I N I

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO  
COMITI AC HEROI  
**FERDINANDO**  
**ANTONIO**  
DE  
**DANNESKIOLD,**  
COMITI DE LAVRVVIGEN ET SANDERSFIOR NORVVAGORVM,  
DOMINO HAEREDITARIO DE VAREL,  
DOMINO DE KNIPHAVSEN, DOORVVERTH ET HARTZ-  
HORN HOLSATORVM, DOMINO DE SKIOL-  
DENESHOLM DANORVM,  
POTENTISSIMI DANIAE ET NOR-  
VVEGIAE MONARCHAE  
**CHRISTIANI VI.**  
ORDINIS ELEPHANTINI  
EQVITI AVRATO,  
INVICTISSIMI EIVSDEM REGIS  
INTIMO CONSILIARIO,  
INTER REGIOS CVBICVLARIOS LOCVM TENENTI,  
AEQVE AC SVMMO REGIORVM STABVLORVM  
PRAEFECTO,

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,  
EVERGETAE MVNIFICENTISSIMO,  
PROTECTORI ATQVE PROMOTORI  
STVDIORVM SVORVM NVNC ET IN POSTE-  
RVM BENIGNISSIMO,  
CVM TOTA FAMIGERATISSIMA ATQVE PRAECLARIS  
MERITIS INCLYTA FAMILIA  
HASCE QVALESCVNQVE LABORVM PRIMITIAS  
CVM OMNIGENAE PROSPERITATIS VOTO  
ILLVSTRISSIMI EXCELLENTISSIMIQVE  
DOMINI MEI CLEMENTISSIMI  
DEVOTISSIMVS CLIENS.

COMES ILLUSTRISSE,  
HEROS EXCELLENTISSE!

**M** Aecenas Atavis Illustribus edite Danis,  
O! & Praesidium, Regni Decus atque Columna  
Dedignare minus, quod TE, quem maxima cura  
Sollicitat Patriae praestandi commoda quaeque,  
Submisso cultu mea quærat opella, rogantis:  
HVIC TVVS IN SPECIE SPLENDOR TVTAMINA PRAESTET.  
Hoc sperare iubet pietatis summa cupido,  
Quam splendere facis, quam de me scripta poposcit  
Littera, qua laudata COMES SOBOLESQVE nitescunt.  
Experto mihimet credo, qui munera tanta  
Accepi, causante TVA pietate benigna.  
Hec defunctorum pridem post fata Parentum.  
Me fouit, duxit, curauit sana doceri,

CAE FERDINANDI TREV.

Hes

*Hæc mihi præcepit peregrinas visere terras  
Auditum Mystas vera pietate coruscos  
Hæc quoque permisit specimen præbere tenelli  
Ingenii sistens pietatis summa momenta.  
Quidni sperarem, quin fiant singula grata,  
Quin placeat, numerum me non intrasse recentum,  
Nec tam pendantur vires, quam pura voluntas,  
Cum preli sumtus Mæcenas ipse rependat:  
Sic fidentis opus, Clemens Comes, excipe gratis.  
Gratus submissæ laudo benefacta per ampla  
Heic collata mihi: Germanis undique constet,  
Quod Germana fides Danis seruetur in oris.  
Danorum Clypeo Clypeus supremus adesto:  
Hæc LAVRVS frondens per plurima lustra vireto,  
Splendeat ALMA COMES, contingat LAVREA ramis.  
LARWIG eat felix certus Promotor*

*Alumni atque Clientis ad cineres observantissimi*

**CAROLI FERDINANDI TREV.**

PEREXIMIO AC PRAESTANTISSIMO IUVENI  
CAROLO FERDINANDO TREV,

HAFNIENSI, SS. MINISTERII CANDIDATO DIGNISSIMO  
FAVORI ET AMICO

S. P. D.

P R A E S E S.

**Q**VVM biennio prope abhinc, post exactos iam laudabiliter in patrio Lyceō annos quatuor, ad nos accederes, optime candidate, iis instructus veniebas Rectoris regiae Vniuersitatis Hafniensis Magnifici litteris, sigillo etiam academico munitis, quibus non modo significabatur, quam egregie absolueris ibi studia theologica, sed laudabare etiam a mente, quam DEO datore nactus sis erectiore, ad quam ulterius pascendam & magis magisque bonis litteris imbuendam, dignus sis habitus, qui terras alio sole calentes inuiferes, commendabare propterea Teutonibus praesertim, ut penes illos locupletes, quos iam conquisiueras, eruditionis thesauros augeres, posteaquam prius subiisses pro impetranda testificatione, ut verba sonabant, dimissoria, impetrassesque veniam habendi concionem sub censura summe reuerendi viri IOH. STEENBVCKII, cuius de eadem hoc erat insertum iudicium:

*Dictam speciminis loco homiliam, qua pericopen euangelii dominicalis explicuit ornatisimus iuuenis CAROLVS FERDINANDVS TREV, laudabilem censui. Hafniæ d. 8. Iulii, a. 1731.*

I. STEENBVCK.

Non potui ego non impense lætari colloquio tuo primo, quo mox ab aduentu tuo ad nos me dignabare, ac præmonstrabas tabulas hæc, præsertim cum indicares simul, te scholas posthac meas frequentaturum, quod & fecisti opera planè indefessa & haud interrupta per plures, quam vnã horam me quotidie aude audiens, ac subinde me priuatim quoque compellans, quin & per annum posteriorem fere, vnum mecum lectum subieris, inquit

inquilius pius ac modestus, & hinc mihi acceptus valde & gratus. Interea etiam animasti cathedram nostram ecclesiasticam aliquoties cum applausu & ædificatione multa totius auditorii, sermones venerandi Præsulis nostri nomine faciens ad populum, quod nuperrime iterum d. 22. Iulii an. 1733. est factum. Quumque in eo iam esses, ut patrios lares repeteres, solidæ doctrinæ & veræ sapientiæ supellectile onustus, quod est votum Magnifici Rectoris Hamniensis acad. quo TE est comitatus; non voluisti huic Salanzæ, in quâ ad maturitatem perducere præoptabas studia TVA, valedicere, nisi prius specimen publicum edidisses profectuum TVORVM ex cathedra theologica. Conscriptisti ergo Marte proprio compositam disputationem hancce, in qua explicuisti ingenii TVI hæud vulgaris dotes luculentissime, cuiusquam me velles moderatorem, in sinu sum gauisus, ubi intelligebam ex eo, quam bene collocaris tempus TVVM apud nos, & quod nominis TVI mensuram studueris implere exacte, in veritate sincera & non fucata pietate quærenda & sectanda fidelis, constans & industrius. Ac, reliqui ego, quia ita volebas, ne alienis plumis superbere censeferi videreris, TIBI omnino TVA, digna quæ lectoris conspectum subirent, atque nunc lætus tecum cathedram conscendam testis potius futurus, quam egregie, quam solerter causam TVAM, ut spero, sis peroraturus in certamine erudito, quam Præsides, quo fere non indiges, nisi consuetudo apud nos recepta id exigeret. Et quemadmodum testor hospes TVVS annuus, & bimulus in palæstra philologica ac theologica commilito, quod nihil sacro ordine indignum apud nos designaueris, sed exemplum TE potius præbueris virtutis atque pietatis, quod aliis sistere possimus imitandum; ita TE nunc ægerrime & calidis votis ex vlnis meis dimitto, precatus summum Numen, ut sospitem & saluum TE patriæ reddat, sancte recordantem, eius TE bono procreatum, tantundem ei fructus olim & dignitatis redditurum, quantum ab exteris doctrinæ mutuaueris. Quibus ego precibus pro incolumitate TVA & fortuna, optime TREV! immoriar, TVoque me porro favori commendans plura nunc ob spatium deficiens non addo. Vale & res TVAS ex voto sub diuinâ tutela age. Scribebam Ienzæ, d. 1. Augusti,

M DCC XXXIII.

\*\*\*  
\*\*\*  
\*\*\*



## VERBA TEXTVS.

Græce.

Ἐἰ τις (Marc. 8ς1ς) θέλει ὀπίσω μου ἔλθειν, ἀπαρνησάτω ἑαυτὸν, καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ (Luc. addit καὶ ἡμέραν), καὶ ἀκολουθήτω μοι.

Latine secundum versionem BEZAE.

*Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam (quotidie) ac sequatur me.*

Verf. B. LVTHERI.

Will mir iemand nachfolgen, der verleugne sich selbst, und nehme sein Creutz auf sich (täglich) und folge mir nach.

Verf. vern. Dan.

Hvo som vil komme efter mig, skal forsage sig self, og tage sit Kors op (daglig) og efterfølge mig.

### P R A E F A M E N.

**Q**VI christiano nomini addicti sunt, eidem conuenienter congruenterque viuant, necesse est; quemadmodum enim Christo, vnde nomen trahunt, per fidem inferuntur, & hoc medio in statum christianismi collocantur, ita quoque per totam  
A vitam

vitam Christi vestigia premant, & officia christianismi sedulo exequantur, quo fides per Christum viua vitam suam in imitatione vitæ Christi hominibus designet. Nec eandem inchoandi & cum successu continuandi vires hominibus desunt, quippe quas diuina gratia antea regenerandis obtulit, oblatas non resistentibus contulit, collatasque in iam regeneratis acceptas vires rite vsurpantibus sensim corroborat.

Nihilominus tamen in imitando Christo alia aliaue se produnt obstacula, quæ regenitos infestant, vt tardiore passu progrediantur. Hæc igitur, diuina gratia cooperante, comprimant, & quantum fieri potest, remoueant, ne iisdem præpediti retrogrediantur, & prorsus tandem ab incepto deflectant tramite. In horum numero maximo impedimento est inordinata philautia, cuius insultus etiam regeniti experiuntur, quibus igitur retundendis concreditas sibi vires adhibeant, quo fidem retinentes in virtutibus excolendis feliciores faciant progressus. Hæc circa versatur effatum saluatoris in præcedentibus allatum, quo omnibus, quotquot fide ipsi adherere, vitæque eius se conformare discupiant, ipsorummet abnegationem necessariam pronunciat. Idem mihi visum est dignissimum, quod, ingenioli mei specimen editurus, penitiori indagarem scrutinio, & recentioribus viam ex hoc dicto suas deriuandi hypotheses præcluderem. Agedum ergo, beneuole lector, nostrum aggrediamur institutum, & paucis singula, quæ verba saluatoris intendunt, discutiamus.

SVSPIRIVM.

*Vt possim pure quauis tractare momenta,  
Cor, mentem, calamum dirige, Christe, mibi.*

TRA-

\* \* \*  
T R A C T A T I O.

§. I.

**S**ENSVS genuini præsentis effati sollicitius inquirendi gratia, duo præmittenda esse existimo, primum est, vt Matthæum, Marcum & Lucam in his verbis consignandis *eundem ordinem* seruare ostendam, secundum vt *occasionem verborum* breuiter tradam. Prius tria præcipue euincant argumenta, nimirum (α) *conuenientia temporis*. Enumerationem eorum, quæ inter pascha Christi tertium, cuius Ioannes *cap. VI, 4.* meminit, & quartum inciderant, ingressi sunt Euangelistæ, eoque iam delati, vt Petrum Christi Deitatem confitentem, ipsumque Christum mortem suam prædicentem referant. Illud præcesserat cæci prope Bethsaidam sanatio, a solo Marco tradita *cap. VIII, 22 - 26.* quæ informationem discipulorum de fermento Phariseorum vitando, a Matthæo *cap. XVI, 5 - 12.* & Marco simul *cap. VIII, 14 - 21.* prohibitam, proxime infecuta fuerat, Lucas denuo post altum silentium concurrat ad referendum cum Matthæo, qui hæc omnia cæteris prolixior recenset, & Marco, sermonem Christi cum discipulis de persona sua vid. cel. SANDHAGENII *Einleitung zur Harmonie p. 129. 130.* (β) *conuenientia loci*. Confessionem Petri accidisse dicit Matthæus, vbi Christus veniret in partes Cæsareæ Philippi *v. 13.* illudque exponit Marcus per *ἐν τῇ ὁδοῦ v. 27.* indicans, quod inter meandrum edita fuerit, cum in eo essent, vt Cæsaream Philippi attingerent, Lucas *v. 18.* addit, cum seorsim oraret & adessent discipuli, qui *subitaneo superuentu* accesserint, significans, quod Iesus in itinere constitutus, nonnihil ex via, preces instituendi gratia, alio discesserit, & discipuli eo conuenerint, quibus, sententiam de persona sua rogatis, mortem suam ac ipsorummet crucem annunciat, pro more ergo ab Euangelistis instituto omif-

fas a Matthæo circumstantias refert Marcus, & quas Marcus adhuc tacet, tradit Lucas. (γ) nexus ab ipsis Euangelistis indicatus, quem Matthæus per suum *ἀπὸ τότε v. 21.* innuit, Marcus vocula *καὶ v. 31.* ostendit, Lucas itidem coniungendo participium *εἰπὼν v. 22.* cum verbo versus præc. *παρήγγειλε* præbet.

§. II.

Alterum præliminare erit succincta euolutio occasionis, qua motus saluator in hæc prorupit verba. Quæ Petrus de diuinitate Christi professus fuerat, aliis enunciari interdicitur, eo quod discipuli, vana regni terrestris spe fascinati, ad hoc mysterium prædicandum iam minus apti erant, cuius infirmitatis eos conuicturus Christus mortem sibi imminentem, quem hoc regnum instructurum fore credebant, verbis maxime perspicuis iisdem prædicauit, periculum facturum, num mentem, somniis chiliasticis præpeditam, proderent nec ne, eandem etiam Petrus exferit, dum, præpostero in Christum amore ductus, eo audaciæ progrediebatur, vt Christo mortem disuaderet, quæ disuasio non quidem a maligno animo profecta est, temeraria tamen fuit atque imprudentiæ plena, quod vel ex sola seruatoris responsione patet, Petrum tanquam minus constantem obiurgantis, quod ille, qui nuperrime præclaram de diuinitate Christi confessionem ediderat, iam Christo aduersetur & obstrepat, cum maximum suæ diuinitatis indicium, in fatana per mortem suam deuincendo & per resurrectionem hostem infernalem debellatum esse monstrando exhiberet: eundem errorem caterorum menti infixum federe sciens saluator in increpando Petro non acquiescit, verum reliquos simul discipulos, imo totum conuocatum populum, memorante Marco *v. 33.* edocet, quænam, ipsis facienda essent, si suis annumerari discuperent; qui hæc fusius pertractata cupit, adeat summe reuerendi

di PRAESIDIS Harmon. Euang. tom. II. libr. V. part. I. sect. I. cap. 9.  
pag. 201. sq.

§. III.

Iam ad ea, quæ textus complectitur, ponderanda delabimur. Huius hemistichion præbet allo-  
cutionem conditionatam, his verbis comprehensam: *ἢ*  
*τις θέλει ὀπίσω μου ἔλθειν, ἢ* *si quis vult post me venire.* Hæc  
phrasis in diuerso sensu vsurpatur, modo *posterioritatem*  
*sive successum in alterius locum denotat*, quo sensu Ioannes  
Baptista dicit de Christo *Matth. III, 11. ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμε-*  
*νος*, scilicet ad officium suum Propheticum peragendum,  
modo *sequi, pressisque vestigiis* aliquem imitari designat,  
quæ significatio admodum frequens etiam nostri dicti est,  
cum mox per *sequatur me* explicetur, & cum eodem per-  
mutetur *Io. XXI, 19.* Accepta hac phrasi de sequela Chri-  
sti, notandum est, quod hæc sequela pro diuersitate  
subiecti sequentis diuersimode intelligenda sit, nunc so-  
lam *corporalem* indicat, qualis Iudæ Ischariotis, crucifi-  
gentium Christum aliorumque, nunc solam *spiritualem*,  
*Io. VIII, 12. nunc utramque* simul inuoluit, quam in fideli-  
bus, tempore Christi, in terris degentis, viuentibus  
animaduertimus, nunc etiam de *munere Apostolico*, quod  
ex mandato Christi vocantis sancti obibant viri, sequela  
eius appellatur *Matth. IV, 19. 20.* nunc denique in specie  
quascunque afflictiones, ob nomen Christi toleratas, in-  
digitat *Matth. XIX, 21.* Spiritualis inprimis sequela, non  
tamen exclusâ corporali, in præsentî innui videtur, disci-  
pulos enim totumque populum corpore sequentem in-  
format Christus, quæcunque ipsis peragenda essent, si  
non corpore tantum, sed simul animo, ita vt Deo gra-  
tum ipsisque salutare foret, magistrum sequi vellent.

§. IV.

Inter se differunt *venire ante Christum, venire ad Chri-*  
*stum, & venire post Christum.* Istud in malam partem de

A 3

Pseu-

Pseudopropheta dicitur *Io. X, 8.* qui venerunt ante me, aliam salutis viam iactantes. Illud frequenter idem est ac credere *Io. VI, 44. Matth. II, 28.* sed saepe de corporali aduentu ad Christum etiam sumitur. Hoc fidem simul & fructum fidei, nimirum conformationem vitae ad exemplum Christi, fide apprehensi, sub se complectitur, posteriora duo ergo propinquo nexu se respiciunt, attamen tanquam latius & strictius differunt, quia enim *venientibus ad Christum* vita & refocillatio citatis in locis promittitur, ad cuiusmodi gratiam imperfecta exempli Christi imitatio nihil confert, haec phrasid de fidelibus, quatenus in Christum credunt, tantum explicari debet, post Christum vero venire eundemque sequi dicuntur, quos & fide Christo adhaesisse & sanctitati studuisse palam est, exemplo erit Enochus, cuius elogium habetur *Gen. V, 24.* וַיִּתְהַלֵּךְ חֵנוֹךְ אִתְּהוָה, *Et ambulavit Enochus cum Deo*, idem catalogo fidelium insertus deprehenditur *Ebr. XI, 5.* Calebo eadem laus ab ipso Deo tribuitur *Num. XIV, 24.* וַיִּשְׁמַח אֱלֹהִים אֹתוֹ *supple infinit.* כִּי לֹא יָרָא לְעֵינָיו *siuadente celeb. D. GLASSIO Philol. Grammat. libr. III. tr. III. colum. 860. edit. 1725. plene vel complete secutus est me,* quae phrasid praesenti nostrae omnino correspondent. Accedit, quod vniqa voce ἀκολούθειν, quae cum ὀπίσω ἔλθειν coincidit, ista omnia, quae christianum efficiunt, & iam facta incumbunt, comprehendantur *Luc. XIV, 27. Io. I, 37. 38.* quo etiam hocce dictum refero. Si quis vult post me venire, id est, me fide amplecti, & ad normam meam se componere. Per sequelam Christi spirituales igitur *status regenerorum*, in fide perseverantium actionesque suas ad exemplum Christi omni, quo possunt, conatu conformantium, intelligitur.

## §. V.

Variis synonymis haec sequela Christi appellari solet; ipse saluator alioquin exprimit per *μὴ εἶνα μαθητὴν*  
Luc.

Luc. XIV, 26. 27. quia nimirum præcipientem præceptorem a tergo sequi solebant discipuli *Marc. VI, 1.* conf. allat. supra *Io. I, 37. 38. 40.* deinde quia sequela Christi docilitatem præcepta Christi admittendi & promittitudinem eadem exequendi, supponit, quas virtutes præceptorum præstare morigeri solent discipuli, hæc necessario a sectatore Christi requiruntur, si sit ipso dignus prouti loquitur *Matth. X, 38.* quia meriti Christi per fidem particeps non potest non sancte & statui iustificationis conformiter degere, hinc Christus plantaturus Ecclesiam Apostolis præcipit *Matth. XXVIII, 19.* μαθητεύσατε, discipulos facite, fideles efficiete, meos futuros sectatores. Qui postea christiani dicti sunt, initio quoque dicebantur discipuli *act. XI, 26.* his respondet Paulinum *μιμητὴν Χριστοῦ γίνεσθαι* *1 Cor. XI, 1.* quales sunt, qui fide Christo agglutinati sunt; quadrat huc quoque encomium, quo Christo initiatum *καινὴν κτίσιν* Apostolus salutatur *2 Cor. V, 17.* sc. respectu intrinsecæ & accidentalis mutationis, vi cuius in Christum credens vires pie, vt vt non perfecte, viuendi possidet, plura, quæ sacra scriptura habet, synonyma breuitatis studio tacemus.

§. VI.

Spuria autem sunt, & quoad maximam partem *ἀνα- τήγαφα* synonyma, quæ non naturientes finxerunt. v. gr. *Christum in nobis generari*, quæ phrasis quidem, licet minus commoda, ab homiletis in sano sensu frequenter vsurpatur, aut prouti a recentioribus ad mysticismum stabilendum applicatur, rei vtique inconueniens est; cum enim generatio sit mutatio a non esse ad esse, sequeretur, Christum toties annihilari, quod blasphemum esset, quoties homines statu gratiæ excidunt, iterumque toties nasci, quoties mortales regenerantur. Id quod pie agnouit magnum nostræ ecclesiæ lumen D. IO. GERHARDVS, qui in *pestill. Euang. tom. I. p. 165.* edit. 4to, regenerationem esse

esse generationem Christi in nobis putauerat, mutato autem consilio, quum Rathmannus hac phrasi ad palliandum suum errorem abuteretur, sententiam suam missam fecit & retractauit in *responsō theolog. aduers. Rathmannum*, DEDEKENNI collect. *respons. theolog.* inserto p. 290. *append. nov.* quod monuerunt D. FEVSTKINGIUS in *palinodia sacra* §. 43. p. 113. & 114. nec non ERDM. RVD. FISCHER, Diac. Coburg. in *vita Io. Gerhardi cap. XV. §. 3. p. 299. 300.* Absurdus adhuc est dictu, *renatos deificari, vel christificari*, aliud enim est cum Deo per fidem vniri, aliud in Deum transformari, aliud est propter aliqualem imaginis diuinæ reformationem propius ad Dei similitudinem accedere, aliud diuina indui natura, aliud denique Christo quoad iustitiam & sanctitatem conformari, aliud *θεῶν θεωρεῖσθαι* fieri. Grates Deo reddimus, quod nos secum reconciliatos propiore presentia inhabitare dignetur, adstipulantibus *Io. XIV, 23. Ephes. III, 17.* aliisque quam plurimis locis, reiiicimus autem eiusmodi arrogantiam, qua nonnulli se Deos, aut particulas & emanationes ex Deo dicunt. Sine fundamento iidem ad *Gal. IV, 19. & 2 Petr. I, 4.* prouocant. Nam quod priorem locum *Gal. IV, 19.* attinet, notandum est (1), quod Paulinum, *ἀρχὴς ἔ μορφωθῆν χριστός ἐν ὑμῖν*, non verti debeat, *donec in Christum transformemini, sed formetur Christus in vobis*, monente diuo LUTHERO in *comment. ad h. l.* (2) quod secundum canon. philof. *Talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse a suis subiectis*, de vitæ nostræ ad exemplum Christi conformatione accipiendum sit, quæ formatio Christi in nobis dicitur, quia vita christiani non est ipsius, sed Christi in eo viuentis, & tanquam principis vitæ spiritualis vires perfectionem suam sectandi præbentis. Circa posteriorem locum *2 Petr. I, 4.* notamus, quod verba Petrina, *γέννηθε θείας κοινωνοὶ φύσεως*, vel *de unione mystica* intelligi queant, qua Deus se nobis non tantum propiorem, verum etiam quoad præsentiam substantialem propiorem, quam cæteris exhibet, vel,

vel, si de *regenerationis statu* explicare mallet, de attributis diuinis in homine credente relucentibus, non autem de substantia diuina, in quam homo conuertatur, accipi debeant, ad illa magis magisque renouatur regeneritus, hæc vero a regenito distincta, licet non separata, manet. Neque purioris farinae sunt phraseologiae, quæ de *humanitate Christi regenitis superinduenda, & de Christo interno, ab externo distincto, nostro æuo audiri consueuerunt*, Christus enim nostram carnem assumpsisse dicitur *Ebr. II, u. 14. 16.* Nos autem non Christi humanam naturam, indiuidualiter acceptam, assumimus, nec renati substantialiter mutamur, cum easdem partes essentielles, nostram naturam constituentes, irregenitis nobiscum communes adhuc retineamus. Plura huc pertinentia, recentioribus scriptis & cantilenis inserta, collegit, & prolixius discussit celeberr. D. V. E. LOESCHER *Timoth. Verin. tom. I. cap. IX. de mysticismo.*

## §. VII.

Quoniam spretis hisce locutionibus fere affinis videtur hæc maxime ambigua: *Ego sum Christus*, ab eadem abstinere consultius esse credo. Ipsum B. LUTHERVM ita locutum fuisse, negari nequit, procul dubio tamen *id vi iustificationis*, non vnionis spiritualis, intellexisse censendus est, & quidem hoc sensu: *Me, fide Christum tenentem, tam vere iustum iudicat Deus, acsi ipse Christus essem, qui satisfactionem pro meis peccatis præstitissem.* Valet vero & hic tritum illud, ante mota certamina liberius loquimur. Errant certissime nouatores, quotquot hanc promiscue & quidem vi vnionis spiritualis ingeminari posse autumant, quemadmodum enim sponsa de se affirmare nequit, ego sum sponsus, nec de pede prædicari potest, quod sit caput, ita nec christianus, ego sum Christus, dicat, æque alias diceret: ego sum sacrosancta Trinitas, vel Deus Pater, quæ phrasès tamen nemini, præter crassissimos enthusiastas & fanaticos, acceptæ hactenus fuerunt.

B

runt.

runt. Contrarium prorsus in modum Ioannem Baptistam, ubi interrogabatur, num Christus esset, de se professum fuisse deprehendimus. *Io. I, 20. ὅτι ἐγώ, inquam, εἰμὶ ἐγὼ ὁ Χριστός.* huius phrasos LUTHERI incommodum usum pluribus rationibus perstrinxit, sanamque mentem ostendit B. D. RUMPAEVS pec. dissert. hab. Griphisw. anno MDCCVII. in quæst. *an fidelis de se dicere possit, ego sum Christus.*

§. VIII.

Circa subiectum sequelæ Christi, quod porro primum effati membrum exhibet, obseruandæ veniunt (α) eiusdem uniuersalitas (β) eiusdem promittitudo. Illa latet in voce ὅστις, vel in vocibus, quas Marcus & Lucas habent, ἔτις, omnis, quisquis sit, me sequi volens, abneget &c. unde primo apparet, quod Christus non tantum de speciali ista sequela locutus fuerit, quam Apostoli eorumque successores, ad obeundum docendi munus rite vocati, præstant, dum per prædicationem verbi & sacramentorum administrationem numerum credentium augent, atque ita huic præcepto Christi speciali morem gerunt, quæ sequela in his, quos contulimus, locis non nisi implicite habetur, quippe qui sequelam spiritualem omnibus, cuiuscunque externi status sint, hominibus communem *primario* intendunt. *Secundo*, quod hæc sequela spiritualis non tantum ad ministros ecclesiæ restricta sit, sed ad omnes se extendat homines, non Petrum & discipulos tantum, verum etiam totum populum Christus affatus est, & quamuis præcones verbi in regnitorum numero esse, aliisque suo, quod omnes intueantur, inculpatō exemplo præluere merito contendant, nullus tamen ab hac eximitur obligatione, qui saluari cupit; datam Christi regulam Marci *cap. XIII, 37.* etiam hic applicamus.

§. IX.

§. IX.

Datur (proh dolor) sequela Christi ministerialis quoad functionem officii ecclesiastici, quæ non semper secum coniunctam habet sequelam Christi spiritualem, nihilominus illa tamen vera est, atque alios Christi sectatores efficere potest. Quoniam ipse Deus ministerium ecclesiasticum instituit, & organa personalia, per quæ organa realia verbum & sacramenta dispensanda essent, ordinavit; dona administrantia, siue virtutem supernaturalem, per verbum pure prædicatum & sacramenta rite administrata fidem in auditores producendi, singulis ad hæc organa distribuenda ab ecclesia, cui potestas personas constituendi concessa est, destinatis largitur, quæ virtus ex efficientia ipsius Dei vi promissi *Matth. XXVIII, 20.* cum actionibus ministerialibus fluit, conf. *1 Tim. IV, 14. 2 Tim. I, 6.* quæ diuina coefficientia ministro irrogenito ne utiquam derogari potest. Ministeriales enim actiones non ita ingreditur ministri sanctimonia, vt, hac deficiente, illæ sint ex parte vtentium ministri opera inutiles prorsus ac infructuosæ, reddantur autem demum salutares, si a sanctificato ministro dispensentur. Quis alias de sui baptismi veritate certus esset, incertus, num baptizans regenitus fuerit, quisnam assensus verbo prædicato præbendus esset, quæ consolatio ex absolutione & vsu sacrae cœnæ redundaret, quo pacto ablegasset ipse seruator ad irrogenitos Phariseos *Matth. XXIII, 2. 3.* quo iure Iudam Apostolum constituisset, & denique quibus modis tentatorum conscientia medendum esset, ad externam ministri vitam, probabile quidem, sed propter largam hypocritarum segetem, minus infallibile regenerationis signum, eos reuocare miseris miserum esset solamen. His antris igitur clauduntur recentissimi, qui ministerium irrogeniti inefficax dicunt, &, iusto rigidiores aliena vitæ censores, cæteros, quotquot hoc maximi momenti dogma

16.  
17.  
18.  
19.  
20.  
21.  
22.  
23.  
24.  
25.  
26.  
27.  
28.  
29.  
30.  
31.  
32.

vindicant, protectores impiorum & promotores impietatis appellitant, quod pietati prætenſæ minus conſentaneum eſt, omnes enim hoc affirmantes, *quod miniſterium irrogenitorum non ſit prorsus inefficax aut inuile*, ſimul docuerunt, quod impius miniſter, licet alios erudiat & per media diuina regeneret, ſanctificet, & ad ſalutem perducatur, maioris culpæ reus & ſimul grauiori pœnæ obnoxius fiat, conſentiente ſaluatore *Luc. XII, 47.* veriſſimum eſt vulgare dictærium: *Turpe eſt doctori, cum culpa redarguat ipſum.* vid. D. GRVNEBERGII 3. diſſert. ſub tit. *Miniſter Dei impius.*

## §. X.

Similiter delirant, qui deſidiam ſpiritualem caluis excuſationibus infucare ſtudent, v. gr. ſi impius miniſter in functionibus miniſterialibus acquieſceret, & ori ſuo tantum, non ſimul operibus, attendi vellet, aliter enim docuit exemplo ſuo Paulus omnes ac ſingulos *1 Cor. XI, 1.* Et ſpecialis miniſtri in munere eccleſiaſtico ſequela maximum ad ſpiritualem quoque ſequelam incitamentum eſt, ac eſſe debet, quo ſe, & qui ipſum audiunt, ſaluare queat *1 Tim. IV, 16.* irritum quoque ac impium eſſet refugium, ſi quis, extra ſtatum eccleſiaſticum degens, ſequelam Chriſti ad ſolos determinaret theologos, aut impietate huius vel illius miniſtri ſuam palliaret, nam vnica eſt ſalutis via omnibus ſaluandis calcanda, nec ab hac deſlectens excuſatur, quod *ὄδῆγος* errauerit, quia multitudo errantium non parit errori patrociniū.

## §. XI.

Promittudinem ad ſequendum indicat ſaluator per vocem *Θέλει, ſi quis me vult ſequi.* A ſuis ſectatoribus ſpontaneam requirit ſequelam, cui ergo curæ cordique ſua ſalus eſt, prompto paratoque ſequatur animo; innumera enim ſunt, quæ ad hanc incitare poſſunt, v. gr. præſtantia

stantia obiecti, Christi nimirum, tanquam summi boni, indigentia subiecti, innumeri sequelæ fructus, & maxima detrimenta, ex huius neglectu fluentia. Animum sequendi promptum ea quoque requirunt, quæ sectatori Christi iniunguntur, quia hæc carni ingrata sunt, adeoque primo intuitu ab hac potius absterrent, quam ad eandem allicerent, nisi homo de sequelæ Christi excellentia conuictus, spretis cæteris, ad hanc sese accommodauerit, spiritui sancto intellectum circa hanc informanti, & voluntatem eo flectere conanti, non malitiose repugnans. Hanc promptitudinem ardentissime anhelat David *Pf. LI, 12.* ita precans: רוח נכון ה' בקרבי *Spiritum rectum innoua in interiori meo,* ad quæ *D. GLASSIVS Phil. S. Rhetor. col. 1428.* sequentiâ monuit: „spiritus rectus siue „firmus & voluntarius hic est *ἀδύσμου* illud diuinum, „quo fidelis homo de salute æterna in corde redditur „certus & firmus, atque ita voluntariam obedientiam „Deo Patri præstat. *v. 14.* eandem efflagitat regius Prophetâ dicens: רוח נדיבה *Spiritus spontaneus sustentato me,* circa quæ differentem celeb. *D. ZELTNERVM* in gloss. final. ad bibl. Altdorff. adducere placet: dein wiliger Geist, der mich zu deinem Gehorsam im Glauben bereitwillig mache, unterstütze mich.

§. XII.

Spontanæ huic sequelæ non aduersatur sollicita impedimentorum cohibitio, a magistratu & ministris ecclesiæ in hæreticos & quoscunque *νεωτεριστας* exercita, qui sanam doctrinam, sine qua sequela Christi obtineri nequit, obfuscant, hos arguere & coercere utique oportet, ne infirmis scandala præbeantur, nec voluntas secuturi externis quibuslibet sufflaminetur obstaculis. E contrario libertatem christianam impugnant, qui innouata dogmata, atque introducta pro suo arbitrio exercitia, tanquam media & indicia sequelæ Christi sub dispendio

salutis aliis obtrudere satagunt, quæ verus sectator merito reiicit, ac acquisitam a Christo libertatem tuetur. *Gal. V, 1.*

§. XIII.

Sequuntur porro, quæ a sectatoribus suis Christus requirit, quorum primum est *abnegatio sui ipsius*, ἀπαρνῆσαι ἑαυτὸν. Abnegare seipsum denotat *partim inordinatam isti renuere philautiam*, qua homo secundum carnis corruptæ instinctum sua diuinis præfert, Deique posthabita gloria, vel vnice vel præcipue sua commoda, honorem & delicias quarit, & *partim spirituales affectus induere*, quibus per suos conatus gloriam Dei, proximi commodum, salutemque sui ipsius maxime intendit. Est igitur sui ipsius abnegatio nisi hominis regenerati ea remouendi obstacula, quæ inordinata philautia obiicere solet, animumque ad spiritualia rite sectanda componendi.

§. XIV.

Eo summa huius præcepti recidit, vt homo non sit obiectum primarium, nec vnicus sui amoris terminus, Deum autem pro summo eodemque suo bono habeat. Adeoque (1) *non prohibentur affectus*. Hoc ipso quidem præcepto affectibus imperare, ne effrenati reddantur, non autem nos abdicare iubemur, eum quippe in finem diuinitus nobis concessi sunt, vt per vires gratiæ sanctificati, in expediendis iam deliberatis, magno inseruiant vsui. Hi si deficerent, superuacua forent præcepta de diligendo proximo, in specie coniuge, sobole &c. lata. Ipsam zelotypiam siue æmulationem in alterius perfectionibus assequendis & superandis ipse Paulus commendauit *Rom. X, 19. cap. XI, 14. Gal. IV, 18.* hinc per stupendam metamorphosin hominem in truncum & fungum transmutare nonnulli annituntur, qui nullos affectus, nisi qui in Deum solum tendunt, admittunt, atque regeneriti talem assignant quietem, quali suorummet nescii redduntur, reclamante sapissime hypocritarum conscientia,  
qui

qui cæco impetu affectibus, vbi suppressendi essent, indulgent, & vice versa eos assopiunt, vbi emolumento ecclesiæ prodesse. (2) in specie non interdicitur *ordinatus sui ipsius amor*, hic enim homini adeo infixus est, vt nec euelli queat nec debeat, sed saltem intra limites continere eum oportet, ne summo in Deum amori vel æquiparetur, vel præferatur; nec ad apparenter bona, quæ reipsa noxia sunt, tendat. conf. *Matth. XXII, 39.* aliis ergo ea præscribunt, quæ ipsi nec præstare possunt, nec debent, quotquot circa amorem Dei purum omnem sui ipsius respectum eliminant. (3) consequenter *corporis cura* nullum vitium habet. Animæ ante omnia rationem habeamus, necesse est, deinde etiam cura nostra circa corpus versari debet, vtpote quod pariter ac anima ad nostram essentiam constituendam concurrat, *Eph. V, 28. 29. Rom. XIII, 14. i Tim. V, 8.* Hoc quarta orationis dominicæ petitio satis dilucidat, quam ad spiritualem panem restringere nulla vrget necessitas, obstante potius antecedentium & subsequantium contextu; & constat, quod aliquando corporis ratio Deo reddenda sit. Toto igitur cælo haud pauci aberrant, dum corpus pro mero ergastulo habent, eiusdemque debilitationem ad sui ipsius abnegationem referunt, *Coloss. II, 18. 23.* (4) nullis rationibus inducimur, hanc corporis curam ad sola alimenta & vestimenta necessaria restringere, cum in aliis etiam felicitatis speciebus, si diuina prouidentia tulerit, sibi comparandis occupari queat, imo homo mediorem, quæ has secundum ordinem semel institutum assequendi altissimus præbuit, ita sollicitus esse tenetur, vt per acquiritas legitime diuinam gloriam proximi & sui ipsius commodum amplificare possit. Huius generis sunt (a) *diuitiæ*, quas, si homo tanquam fructus & præmia laborum sibi acquisuerit, vel diuina benedictio per hereditatem, aut licitam quamcunque occasionem, largita fuerit, iisdem sobrie uti, nec non si debita adhibeatur parcimonia,

monia, in sequens tempus residuas referuare licet, id quod *Proverb. X, 4.* vt & exemplis tot diuitem Patriarcharum, Deo familiarium, luculenter confirmatur. Loca, quæ in contrarium producantur, vti *Matth. VI, 19.* & alia quam plurima prohibent tantum curam mundanorum, cum neglectu spiritualium coniunctam. (β) *honoris officia*, quæ non tam propter honorem, quem subiecto conciliant, quam propter honorem Dei & salutem reipublicæ, sufficientibus scientiis præmunitum ambire ac obire, si deferantur, oportet, Mosis, Ieremiæ ac Ionæ exemplis hocce confirmantibus, & si simul veneratio & reuerentia officio fungenti præstetur, hanc ita excipere decet, vt admirationem propriæ sapientiæ deponat *1 Cor. I, 31.* oblati honoribus ac titulis haud superbiat, diuinæ gratiæ, quæ se honorantes honorat *1 Sam. II, 30.* causam honoris referat, atque officio suo condigne viuere exinde moneatur. Vel vnicum Iosephi exemplum ostendit, quod honores non per se, sed per accidens ex hominum vitio mutant, vt aiunt, mores. Huc spectant *tituli honorarii, in specie academici*, quos nullo iure illicitos esse videmus, applaudentibus sacris pandectis *1 Tim. V, 17. Gal. IV, 14. Io. XII, 21.* concessõ genere, concedenda est species. Obiici quidem, sed minus apte, solet *Matth. XXIII, 8. 9.* hic locus enim de fastu Pharisæico, per totum caput reprehensõ, agit, qui aliorum conscientiis imperare, atque adeo pro patribus magistrisque declarari affectabant, quo vero sensu intellectus in contradicentes nostri temporis fanaticos merito retorquetur. (γ) *honestæ recreationes*, actusque, vt dici consueuerunt, indifferentes; curis suis gaudia vel ex sui vel aliorum felicitate percepta, si modo absit excessus & lasciuiã omnis, interponere neutiquam prohibitum est, sed certo respectu corporis refocillationi inseruiunt suscepti actus saltandi, exspatiandi, ludendi &c. atque testantur, quod homo sorte sua contentus viuat, nec dissentit scriptura *Ier. XXXI, 4. coll. v. 11. 12. 13. Zach. VIII, 5-7.*  
Eccles.

Eccles. III, 4. Iobi XXI, 12. vid. B. BALTH. MEISNER tam in *philos. sobr. part. I. sect. II. cap. IV. quest. II. pag. 594. seq.* quam in *collegio adiaphoristico, disputat. XII. thes. I. tota*, itemque B. D. IO. PETRVS GRVNEBERG. *dissert. de saltatione christiano licita*. Ipsum saluatorem in sabbatho exspatiatum esse legimus *Luc. VI, 1. & alibi*. Cautus tamen sibi quisque prospiciat, ne circumstantiæ hos actus deprauent. Et rectius omnino sibi consulit, qui, sicubi norit se istiusmodi actibus ad mala irritari, eos omiserit, quam qui eosdem exerceat, sed non possumus omnes alios nostro metiri modulo. Qui has omittit, timens, ne occasionem peccandi arripiat, itidem sibi caueat, ne alium exercentem ex suo iudicet ingenio, quasi hic animam eidem periculo obiiceret. Affirmatis iam iis, quæ hoc effato prohiberi recentiores arbitrantur, alia negamus, quæ iidem mandata & necessario iniuncta esse volunt, quæ inter (1) reiiicimus *communione bonorum*. Cuilibet christiano pauperibus elemosynas erogare incumbit, hinc autem inferri nequit bonorum communio, quæ dominium propriarum opum tolleret. Ad tempus quidem in primitiua ecclesia bona christianis communia erant, ita tamen, vt emtio & venditio non penitus cessauerint, bona ab Anania vendente alter emerat *act. V, 2*. nec ad vendenda coactus fuerat Ananias *v. 4*. accrescente vero christianorum numero, multisque fraudibus simul irrepentibus, hæc penitus abolita est, quæ quoque varia incommoda propter hominum malitiam attulisset. *conf. 2 Thess. III. fere totum caput inprimis v. 8. 10. 11. 12*. Hinc temerarium est huius exoptare restitutionem, valori nummorum & commutationibus succensere, ac ordinem in republica receptum improbare, prouti hoc taxat B. D. SCHELGVIG. *Synops. controu. art. XXX. thes. IV. (2) ieiunium frequens*. Iustum est, festa ieiunalia ab ecclesia eum in finem institui, vt quisque, per temporariam abstinentiam a cibo se benedictione diuina indignum profitens, Deo, ardentius pro sua totiusque ecclesiæ salute inuocando, se

C

totum

totum consecret, eiusmodi vero reprobatum ieiunium, quo quis, per sancta vota Deo nuncupata, sese ad ieiunia hebdomalia, certo diei destinata, temerario & perpetuo obstringit, nescius, num in futurum hæc præstare animi corporisque vires concedant. Hæc, quanto frequentiora sunt, tanto periculosa, consequenter nemini sub opinione cultus necessarii suadenda sunt, verum cuiusvis arbitrio relinquenda; num, virium rerumque conditione permittente, hæc pro libertate sua, absque voto tamen, velit eligere. (3) *vigilias grauioribus*; quod vigiliæ in certis casibus propter imminentes tentationes expediant, concedimus ex argumento loci *Matth. XXVI, 41.* iisdem autem corpus emacerare, curæ eidem debita repugnat. (4) *flagellationem corporis*; quæ electiis pontificiis cultibus originem debet, & ex ecclesia nostra iam pridem proscripita est, dolemus vero, quod etiam in eadem crassissimi quidam fanaticorum eo fuerint prolapsi, ut hanc reuocare gestierint, cuius opinionis quoque Mag. IO. CASP. SCHADE, Minist. Berol. accusat B. D. LÜTKEN in *epist. ad b. D. Spenerum d. 27. Febr. 1697.* missa. Legitur illa epistola tota in *den Theologischen Annalibus auß erste Decennium sec. XVIII.* deyer Unsch. Nachr. p. 780 - 791. med. in primis n. 5. & 6. p. 782. huc spectat. (5) *calibatuum coactum.* Nulli negamus, quin vxoratus multis detineri queat negotiis, nisi cautus processerit, nec tamen calibatus ab omnibus incommodis immunis est, quemadmodum itaque nemo ordinem a Deo præscriptum in coniugio contrahendo violare debet, ita nec vllus votum perpetui calibatus dicat, quippe qui propriam libertatem sibi dubiam reddit. Monstrosam huiusmodi sui ipsius abnegationem inculcant nouaturientes, qui aliorum humeris grauiissima imponunt onera, culices fugentes, & camelos deglutientes *Matth. XXIII, 4. & 24.* vid. D. SCHELWIGII *sectirische Pietisterei part. I. artic. 3. & vita Gichtelii cel. IO. GVSTAV. REINBECK,* tam inserta *den freywilligen Berlinischen Heb. Opffern,* quam nuper seorsim excusa.

§. XV.

Veram & verbo diuino conformem sui ipsius abnegationem aliis nominibus scriptura sacra appellat. Modo addit *abnegationem*, rerum externarum, parentum, liberorum &c. *Luc. XIV, 26.* quia seipsum abnegans illecebras, his adhaerentes, atque, ipsomet non aduertente, ad flagitia exstimulantes, vero prosequitur odio, manente naturali personarum amore, ynde, si diuina vindicta cognatis affinisque propter peccata atrociora infortunia & ipsam mortem inflixerit, Deum misericordem adhuc aestimat, imo, si pro tuenda diuina gloria terrestria & ipsam vitam perdat, hæc omnia Deo postponit. Modo vocat *amputationem membrorum Matth. XVIII, 8. 9.* quia prauæ cupiditates, per obiecta externa in sensus incurrentia motæ, tam serio coercendæ sunt, ac si ea euellerentur membra, per quæ obiecta illa, quæ ad flagitia commouent, percipi solent. Modo appellat *crucifixionem carnis Gal. V, 24.* quia se abnegans tanto dolore afficitur, quanto, qui crucifigitur, afficitur, cum multa, carni iucunda, missa faciat & derelinquat, libidinum flammam exstinguat, vindictæ cupidini resistat, & quæ plures sunt species. Huic conuenit *mortificatio membrorum terrestrium Col. III, 5.* Modo maxima cum emphasi *depositionem veteris hominis & induitionem noui hominis salutari Ephes. IV, 22. 24.* vbi per veterem hominem corrupta humana natura seu praua carnis desideria intelliguntur, quæ Apostolus hortatur deponere, metaphora ab homine vestes exeunte desumpta, quemadmodum hic vnum post alterum vestimenti genus successiue deponit, ita seipsum abnegans carnales cupiditates sensim sensimque debellat, per *inductionem noui hominis* indignantur inclinationes spirituales a subiecto, quod totus homo est, renouando & termino ad quem, nouis induendis affectibus, denominatæ, quæ itidem ad instar vestimentorum non instantaneo momento induuntur, sed incrementum capiunt quotidianum & successuum.

C 2

§. XVI.

## §. XVI.

Subiectum abnegationis sui ipsius est solus Christi sectator, qui viribus hanc incipiendi & continuandi, per Spiritum sanctum inhabitantem concessis, instructus est, vnde (1) nullus Christum ignorans seipsum abnegare potest. Ratio post lapsum considerata docet quidem, peruersum sui ipsius amorem cohibendum, Deique gloriam sectandam esse, si tamen absque scriptura solitaria manserit, intimam animæ peruersitatem non perfecte adeo cognoscit, vt peccatis hanc annumeret, ergo circa exteriores libidines coercendas tantum occupatur, media eo perueniendi ignorat, ac homo huic soli obtemperans non potest non in sui ipsius potius, quam Dei, gloriam tendere, docente Paulo *1 Cor. II. 14. per naturalem hominem* hic loci reuelationis gratia destitutum intelligente, (2) quod nullus, circa fundamentum fidei pertinaciter errans, hanc exercere queat. Quia absque sana cognitione nullus redditur sectator Christi, ergo nec huic conuenienter agit, quod contra modernos vertumnos, qui haud raro Ethnicos, Arminianos, Socinianos, & quosque veritatis hostes membra ecclesiæ dicunt, defendit summus & de ecclesia Christi præclare meritus Theologus B. D. IO. FECHT in *Sched.* cuius titulus: *Nunquam pie viuitur, nisi recte creditur.* (3) apparet quoque, quod ipse Christus, si strictius acceperis, se non abnegauerit, quia ab omni labe & impetu inordinatæ philautiæ immunis erat. Prouti nec (4) proprie loquendo vel homo in statu integritatis, vel gloriæ constitutus, dici potest se abnegare. Estque ἀνερολογία magna, si beati cœlestes dicuntur Deo offerre spiritum contritum & confractum. Exulat enim ibi omne peccatum, E. etiam cor ob peccata contritum, spiritusque fractus. Loca, quæ afferuntur ex Psalterio, quibus testatur Deus, se non spreturum spiritum confractum, loquuntur de hac, non futura vita.

§. XVII.

§. XVII.

Abnegatio sui ipsius inæquales penes subiecta gradus habet. Alii nimirum sunt *incipientes*, qui nuperrime renati grauiore peccatorum, antea commissorum, insultus adhuc perferunt, alii sunt *proficientes*, qui respectu incipientium inclinationem ad peccata exercenda maiore debilitant feruore, alii sunt *comparate ita dicti perfecti*, qui, quanquam incurfiones peccati adhuc experiantur, maximam tamen promptitudinem has cohibendi obtinuerunt. Eo verò perfectionis nemo mortalium peruenerit, vt nullum impetum peccandi sentiat, quoties scriptura sacra perfectos appellat, intelligit compare ita dictos, vti *Phil. III, 15. coll. v. 12.* & loquitur de perfectione partiali, non totali, vti *Rom. VI, 12. seq.* vel etiam de eo, quod debuimus, non vero potuimus obtinere, veluti *Matth. V, 48.* Produnt ideo spiritualement arrogantiã, qui secus docent, atque absolutam perfectionem ab omnibus non modo postulant, sed etiam in hac vita illam obtentu possibilem credunt, atque se & alios eandem iam obtinuisse iactitant, vano profecto & fastu inani turgidi. Cuiusuis erit, suum profectum ad amissim perfectissimæ legis diuinæ reuocare, in quò negotio cauendum est, (1) ne nobis ipsis blandiamur, meros naturæ effectus pro operibus gratiæ venditantes. (2) ne bona censeamus opera, quæ reuera mala sunt. (3) ne singulas actiones tam internas, quam externas explorare omittamus. (4) ne deprehensis profectibus, turgeamus, animaduersos e contrario defectus doleamus, hos emendare conantes. Alteri autem, in his gradibus cuidam homini assignandis, caute procedendum est, ne *καρδιογνωσίαν* affectare videatur.

§. XVIII.

Hoc de sui ipsius abnegatione præceptum primo simul decalogico inuoluitur, qui enim se supra Deum amat & terrestria spiritualibus præfert, Deos alienos

C 3

colit,

colit, qui contra diuinæ gloriæ exaggerandæ intentus est, vera fiducia Deum necessario amplectitur. Hinc insignia huius specimina in V. T. Patribus suppeditari, multis demonstrat diuus scriptor epistolæ ad Ebræos *cap. XI.* per totum. Nihil inde lucrantur Sociniani pro sua hypothese pallianda, quod Christus esset nouus legislator moralis. Hæc doctrina etiam a tempore LYTHERI vsque in hunc diem in nostra propagata est ecclesia, vt falso sibi gratulentur recentiores, quasi hanc de nouo inducerent, noui reformatores penitus collapsa, prouti videri volunt, ecclesiæ, & pietatis restauratores futuri.

§. XIX.

Secundum sectatoris Christi requisitum est *crucis assumptio* his verbis iniuncta, ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, tollat crucem suam. Crux proprie denotat certum supplicii instrumentum, quod penes Romanos in puniendis facinorosis seruis creberrimo vsu inualuisse, vsque dum a Constantino M. in honorem Christi, crucis supplicio affecti, abolitum fuerit, Iudæorum autem foro ignotum fuisse multis asseuerat ANTONIVS BYNAEVS in *tr. de Christo crucifixo p. 75. seq.* Hinc vox crucis translata est ad piorum afflictiones, in specie eas, quas ob veritatem caelestem confirmandam perpetiuntur, designandas, quia christiani, calamitatibus impliciti, passioni Christi quodammodo conformantur, ceu concludit FLACIVS in *clauis script. sub voc. crucis*, adstipulantibus Paulinis effatis *2 Corinth. I, 5. Col. I, 24. 2 Tim. II, 10.* quia non de cruce Christi in proprio corpore ferenda, sed de passionibus, quæ ob ecclesiæ incrementum sanctis eius membris infliguntur, agunt, quæ dum pro sana doctrina occumberent, de huius diuinitate se infallibiliter conuicta esse declararent, aliisque hæc videntibus fidem huic verbo præstandi summam præberent occasionem. Improprium hunc significatum nostra etiam sibi vendicant loca.

§. XX.

§. XX.

Hanc crucem vt in se suscipiant, hortatur saluator, & consequenter eandem imminere tacite prædicit, sicut alibi quam plurimas ærumnas ob nomen suum ab Apostolis cæterisque sectatoribus perferendas esse prænunciat non modo, sed, vt alacri & prompto id animo fiat, requirit etiam. *Matth. X, 22. Io. XV, 20. XVI, 2.* imprimis Petro non tantum acerrimas tribulationes, verum propriam quoque corporis crucifixionem, quoad mortis genus annunciat *Io. XXI, 18. 19.* quod exinde probant eruditi, quia in hoc supplicium optime quadrant *manuum extensio, cinctura ad trabem feralem, & abductio, qualia cruciariis subeunda essent*, verba sunt summe reuerendi PRAESIDIS in *Harmon. Euang. tom. III. libr. IV. part. II. sect. III. subf. II. cap. IV. p. 1567.* censentque quam plurimi, Petrum Romæ sub Nerone circa annum Christi LXIV hoc violentæ mortis genere obiisse. confer *Histor. Eccles. Goth. N. T. p. 199. 200.* edit. 1723. euentus testatur, quod grauissimæ persecutiones ecclesiam vexauerint, quis nescit, quantos cruciatus in ecclesiam Lutheranam exerceant Papicolæ, quem fugit recentissimum Salisburgensium Confessorum fatum, adeo vt diuulgatum dicterium euentui respondeat:

*Sanguine plantata est ecclesia, sanguine creuit &c.*

§. XXI.

Ex his tamen probari non potest. (1) quod crux sit nota veræ ecclesiæ, cum huic non soli & semper competat, quia Deus pœnæ loco etiam infidelibus calamitates infringit, & vere credentibus quam sapissime immunitatem ab hostium impetu præstat, ita vt, licet tentent, haud tamen opprimant, nec ex eorum voto sapissime tentare queant. (2) quod crux incrementa ecclesiæ per se efficiat, non enim nisi accidentaliter contigerunt, quæ hactenus accessere, diuina prouidentia in alium finem, quam quem persecutores intendunt, crucem

cem dirigente. (3) quod crucem deprecari illicitum esset, aliud quippe euincit septima petitio orationis Dominicæ, ab ipso seruatore nobis commendata. (4) quod externa pompa in templis veræ ecclesiæ non toleranda esset. Ex cultu Leuitico, hodie quidem abrogato, haud illegitime concluditur, quod externus splendor, quo templa exornantur, Deo non displiceat, N. T. codice eundem non prohibente. (5) in contrarium patet, quod felicitas temporalis non sit solis fidelibus propria, quanquam iisdem sæpe concedatur. (6) quod liberatio ecclesiæ a quocunque crucis genere ante extremum diem non sit speranda, quamuis, quæ de Iudæorum conuersione quoad magnam partem, & spe meliorum temporum in vtramque partem, non admixtis somniis Chiliaisticis de abolitione regni gratiæ, abrogatione magistratus, fictoque aduentu Messiæ ante extremum gloriosum aduentum, disputari solent, diuinæ relinquamus omniscientiæ. Qui his aduersas hypotheses nostro seculo spargunt, priscam cramben recoquunt, clarissima scripturæ loca detorquent, multosque fidei articulos eneruant.

## §. XXII.

Præter externos cruciatus asperrimos dantur etiam alii frequentiores, fideles vtrinque prementes, modo ab ipso Deo immissi, pauperie, morbo, aliaque fortuna aduersa hominum fidem explorante *Ebr. XII, 5. 6. 7.* modo ab impiis hominibus, piis insidias nectentibus, & quascunque molestias creantibus *2 Tim. III, 12.* modo denique a satana, qui nomen Christi profitentibus infensissimus, leonis rugientis adinstar obambulat, quærens, quem absorbeat *1 Pet. V, 8. Luc. XXII, 31. Eph. VI, 11. 12.* Hæ ærumnæ comitantur sectatorem Christi, non quod sequela eius has per se efficiat, sed quod partim satanas & mundus singulos, Christo adhærentes, inextinguibili prosequantur odio, partim quod Deus exinde suam misericordiam manifestare

nifestare velit, vt per viam crucis arduam ad cœlica gaudia multos transferat, qui, hanc viam calcantes, ab amore mundi conseruantur, multa diuinæ gratiæ, in cruce consolantis, vestigia animaduertentes, adeoque hunc ordinem, quo ex nutu patris fauentis ad salutem pertinent, non fastidientes.

§. XXIII.

Quoniam sacra pagina, siue V. siue N. T. libros euouerimus, mala passionis ad explorationem fidei fidelibus inflicta toties reuelat, atque ipse seruator, cum suis Apostolis eadem postea indicantibus, crucem christianam memorat sapius, apparet, quod minister ecclesiæ ad horum exemplum imminentes calamitates auditoribus proponere debeat, & quidem eum in finem, vt (1) nondum tentati erga alios crucigeros misericordia tangantur, atque ad futuras forte arumnas se præparare discant, (2) vt a tentationibus, semel toleratis, liberati ad gratam mentem erga Deum excitentur, diuinam imperscrutabilem œconomiam rite ponderaturi, (3) vt tentationibus iam implicati erigantur, atque ad patientiam & quascunque virtutes suscitentur. Porro officii consolatorii illucescit necessitas, quod cruciariis adhibendum est, & annunciatae cruci adiungendum, quo hanc audientes diuina remedia atque solamina, sibi applicanda, simul noscant. *Singula eleganter monuit M. CHRISTIAN. AVGVST. HAVSEN in Theolog. Paraclit. gener. conc. I. p. 13-18. quod totum opus, tribus constans partibus, plane est egregium, & huc omnino conferendum.*

§. XXIV.

Quocunque iam modo & nomine afflictio venerit, a fidei sectatore, mandante magistro, patienter ferenda est. ἀγάτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ. Cum verbo ἀπειν alibi commutatur βασίλειον Luc. XIV, 27. vtrumque graue molestumque onus portare significat, metaphora a ligno crucis desumpta, quod ad locum supplicii baiularent pœna crucis multandi, postquam flagellis cæsi erant, sicut enim summo non sine dolore crucem portaret, ex fustibus aut  
 IVXX. 2 D flagris

flagris faucibus, quorum ictu nouissime punctus erat, & crebrius inter meandum petebatur, de quibus latius differit *BTNAEVS* in cit. tr. de *Christo crucifixo* p. 578. ita dolorificas quoque fore passiones fidelium innuit, ad quas tamen sustinendas non cum cruciariis adigerentur, sed minus coacti atque lubentes, vt sectatores Christi, se accingerent. Ille enim secundum mentem saluatoris crucem non fert, qui vexantes calamitates, quia his liberari nequit, ægre fert, de misericordia diuina dubitans, spe liberationis destitutus, ac defectum bonorum temporalium adeo vehementer lugens, vt se diuina mundanis postponere satis superque ostendat: ast hic vnice pro voluntate diuina crucem sustinere censetur, qui in afflictionibus Deo confusus, in diuina acquiescit misericordia, ac, quia possessionem bonorum Deo acceptam refert, horum subtractionem diuini iuris esse autumat.

## §. XXV.

Ad augendam patientiam, iuvat, ingruentibus calamitatibus, sedulo perpendere (a) num in statu gratiæ constituti viuamus, quo certiores reddamur, vtrum ab irato iudice in poenam, an à clemente Patre in explorationem fidei inmissæ fuerint. (b) quod, si prius deprehensum fuerit, pro incitamentis ad resipiscentiam habeantur. (c) quod, si posterius animaduertes, agnoscas, quod fauorem Dei declarent, felicitatem temporalem spiritali atque æternæ saluti obeffe potuisse, præuidentis. (d) quod Deus ultra vires non discruciet, sed simul easdem conferat *1 Cor. X, 13*. hac ratione dicit Paulus *Phil. IV, 13*. omnia in Christo valeo, quæ verba non de impletionem legis, sed de tolerantia cuiusuis infortunii agere, perspicue demonstrat contextus. (e) quod in collatione cum cœlicis gaudiis breuissimæ sint & temporariæ huius vitæ ærumnæ *Rom. VIII, 18*. (f) quod aliis fidelibus, vitæ æternæ iam illatis, idem contigerit *Matth. V, 10. 11. 12*. (g) quod cauti sibi attendant cruciarii, ne iniustitiæ ergo patiantur *1 Petr. IV, 12 - 15*.

## §. XXVI.

§. XXVI.

Ne vero momentaneam patientiam sufficere cogitemus, voculas καὶ ἡμέραν, constantiam intendentes, Lucam adieciſſe reperimus. Quarum ἀνθερα in dubium vocandi nulla ſufficiens ratio adest, quia (N) hoc eſſet periculoſiſſimum (D) in plerisque vetuſtiſſimis codicibus habentur (A) ſcopo ſaluatoris optime conueniunt (T) ſufficit haſ a Luca conſignatas eſſe, non enim ſine cauſa hitoriam vitæ Chriſti a quaternario Euangelistarum numero deſcribi curauit ſpiritus ſanctus, diligentius atque ſollicitius ſacrarum literarum ſcrutinium nobis commendaturus, vt vel apicem, quem alter ſacer ſcriptor addidit, obſeruemus, quod itidem in præſens dictum applicari poteſt, illuſtrantibus ſaluatoris mentem *Iac. V, 7-11. Ebr. X, 35-37. Luc. XXI, 19.* vindicamus itaque harum ἀνθερα, & veritimus, *ſingulis diebus*, vel ſi aduerbialiter malis, *quotidie*, nam præpoſitio *κατὰ* vel loci, vel temporis nomini præmiſſa ſæpe ſumitur *distributive*, *Luc. XXI, 11. act. XVI, 5.* haud quidem externis calamitatibus quotidie iactatur fidelis, internos tamen diabolicos inſultus quotidie experitur, adeo vt nullo tempore ad ſuſcipiendos obuios quoscunque imparatus eſſe debeat, ſpiritualibus ſubſidiis ſemper præmunitus, ne ſuccumbat, quæ inter *aſſiduitas precum* non vltimum ſeruat locum, ſingulis chriſtianiſ commendanda ſummopere, quippe qua virium confortationem ad ſuperandas, quæ iam vrgent, aut forte in poſterum irruant, tentationes cœlitus efflagitent.

§. XXVII.

Ex iis, quæ de aſſumptione crucis dicta ſunt, ſine fundamento concluditur. (1) quod nobis ipsis crucem inferre queamus, ſiquidem eo tantum præceptum ſaluatoris collineat, vt, quæ, Deo vel immittente, vel permitte, inſeſtauerit, lubentiſſime in honorem ipſius ſuſcipiatur. (2) Neque hinc probaueris, quod iuſtam cauſam aduerſus hoſtes per magiſtratum tueri illicitum ſit, quoniam hic ab ipſo Deo ad deſenſionem bonorum *Rom. XIII, 34.*

ordinatus est. Exulet saltem vindictæ cupido, atque absit, vt ob quamuis leuissimam læsionem proximus noſter coram iudicio incusetur, sin autem integritas vitæ & aliæ rationes tutelam magistratus contra inimicum implorare postulauerint, omnia ad emendationem lædentis & securitatem læsi tendant. *Matth. V, 39-42.* tantum interdicitur *priuatam vlciscendi studium*, neque enim cædens, ad alteram maxillam cædendam, adeoque ad maius peccatum in nos committendum, atrocioraque pœnam sibi met attrahendam, irritandus est. (3) Similiter euinci nequit, quod bella in N.T. legitime suscepta gerere prohibitum sit. (4) Nec hinc demonstrabis, quod impendentes ærumnas licito modo auertere nefas sit, contrarium suadente Christo *Matth. XXIV, 16. 17.* sed animus & circumstantiæ aliæ probe hic veniunt attendendæ. (5) Neutiquam patientiæ repugnat, liberationem a iam premente cruce quærere, cum enim nulla immediata liberatio promissa sit, media & remedia licita his repellendis ita adhibere tenemur, vt non in hæc, verum in solum Deum, per hæc iuvantem, fiducia collocetur. Contrarium affirmare nihil aliud est, quam licitum eorum vsum, quorum abusus frequens est, penitus tollere.

§. XXVIII.

Tertium, quod denique sectatoribus seruator commendat, est genuina sequelæ indoles ex his deducenda, καὶ ἀκολουθεῖτω μοι, ac sequatur me. Dicam impuræ ταυτολογίας b. LVTH. vers. scribit TRILLERVS in *der Untersuchung etlicher Dertter, die wegen übeler Übersetzung die Wahrheit aufgehalten*, eo quod ἀκολουθεῖτω μοι similiter ac primum hemistichion, ὁπίσω μου ἕλθει per mir nachfolgen expresserit. Wer mir nachfolgen will, und mir nachfolgen, in prioris locum substituit TRILLERVS, so jemand will hinter mir kommen, quam versionem sono verborum græcorum propius respondere, non negamus, quo etiam accedit versio latina BEZAE, *qui vult venire post me*, aut, ceu apud Marcum vertit, *pone me*, & Danica simul, *vil nogen komme efter*

effer mig, temere tamen LVTHERVVM ταυτολογίας inculsari,  
 quisque videt, quia post aliquem venire & sequi aliquem  
 vnum idemque sunt, sicut ipse spiritus sanctus τὸ ἀκο-  
 λυθεῖν cum ἐπίσω ἔρχεσθαι permutat Luc. XIV, 27. Porro  
 cuique notum est, quod b. LVTHERVVS, in bibliis transfe-  
 rendis occupatus, magno studio ad genium linguæ teuto-  
 nicæ se accommodandi flagrauerit, quo ductus hoc effa-  
 tum ita vertere voluit, cum concinno Germanismo, assen-  
 tientibus huius linguæ peritioribus, magis conueniat  
 mir nachfolgen, quam hinter mir kommen. Si versionem  
 TRILLERI posteriora hæc, folge mir nach, transferentis re-  
 spexeris, illucescat, quod veritatis detentio, cuius b. LV-  
 THERVM hic temere insinuat TRILLERVS, in ipsum potius  
 redundet, prouti omnibus, qui merita LVTHERI de no-  
 stra ecclesia imminuere, & suum præpostere illum emen-  
 dandi studium declarare nituntur, hactenus contingere  
 consuevit. Nam τὸ ἀκολουθεῖτω μοι per mir gehorchen ex-  
 primit, obedientiam mandatorum Christi sequela eius  
 quidem includit, plura tamen atque præstantiora adhuc  
 inuoluit, vnde per mir nachfolgen accuratissime vertit  
 LVTHERVVS. *Hæc omnia rectissime Trillero regessit M. Schönlan-  
 den im Beweis, daß Lutheri version mit nichten die Wahr-  
 heit aufgehalten habe pag. 266. ad 269. multo minus spiritui  
 sancto ταυτολογία imputanda est, quippe cui vnam vocem  
 emphaseos gratia pluries repetere, veluti bis verbum  
 ποιεῖν Io. XIII, 27. atque vnam eandemque rem pluribus  
 compellere nominibus admodum frequens est. Verum  
 est, quod antecedens conditio, si quis vult post me venire,  
 a sequenti requisito, sequatur me, primo intuitu non dif-  
 ferre videatur, ad euitandam tamen ταυτολογίαν supple  
 aduerbia, promte, alacriter, constanter, sincere, rite, & eiusmodi  
 plura, verum sequendi modum explicante, sec. reg.  
 Danziani interpr. edit. min. 73. pag. 75. verbum, præter vfi-  
 tatam significationem, nonnunquam aliquam eius qualitatem in-  
 uoluit, quæ obseruata recentioribus multa, quibus inni-  
 tuntur, loca præscindit, sicut i Io. II, 34. coll. cap. IV, 7. 8.*

16.  
 17.  
 18.  
 19.  
 20.  
 21.  
 22.  
 23.  
 24.  
 25.  
 26.  
 27.  
 28.  
 29.  
 30.  
 31.  
 32.

nosse Deum, ita nosse denotat, *ut in amorem Dei erumpat* notitia, adeoque in *sensu emphatico* accipitur, similiter *cap. III, 9.* facere peccatum de *assiduitate & studio* peccandi accipiendum est, quemadmodum huius oppositum *v. 7.* facere iustitiam, *serio iustitie studio deditum esse* significat, similia exempla copiosius hanc regulam corroborant, quam circa hæc verba etiam nobis satis commode in usum vertimus.

## §. XXIX.

Huic sequelæ indoli distinctius euoluendæ inseruire potest attentior consideratio (1) *obiecti sequela*, (2) *mentis Christiani sequentis*, (3) *constantie in sequendo*.

## §. XXX.

*Ipsum saluatorem obiectum sequelæ esse*, effatum ipsius perspicue ostendit, pronomine *demonstratiuo* *moi* seipsum indigentis. Hunc igitur sequi oportet partim *euangelice*, partim *legaliter*, *illud per solam sit fides*, qua cum Christo ununtur fideles, simul ac promissiones de remissione peccatorum per mortem *saluatoris partas*, & per *resurrectionem*, quod sufficientissimum *λόγον* fuerit, confirmatas cognouerint, cognitatas vere enunciatas esse, ac ad se pertinere iudicauerint, atque hinc in iisdem acquieuerint, Christo, tanquam reali salutis suæ fundamento, confidentes. *Hoc instituitur*, cum iam *iustificati vestigia sanctissimi Christi exempli* *premere* summa nituntur ope, quæ sequela quidem ex fide operante proficiscitur, verum tamen secundum *prescriptum legis instituitur*, quam legem diuinam omnibus numeris implendo seruatur nobis præluxit.

## §. XXXI.

Circa hæc bene obseruanda sunt (1) quod *euangelica & legalis Christi sequela* firmissimum nexum inter se habeant, adeoque neutra in *sectatore Christi* desiderari debeat & queat. *Io. XV, 1-5. incl.* (2) Quod *sola euangelica* nos iustificet *Rom. III, 20. cap. IV, 5. cap. XI, 6.* (3) Quod *legalis sequela* sit imperfecta *Gal. III, 22.* vnde tuto dici nequit, quod *secundum ἐπιείκειαν euangelicam lex a renatis implea-*

impleatur. Quod hæc detur, ambabus largimur, in eo nimirum consistens, vt Deus iuri rigidissimo cum hominibus, secum per Christum reconciliatis, non insinat, nec imperfectam obedientiam in filio suo dilectissimo semel punitam, in fidelibus puniat, non vero secundum hanc legem a regentis impleri, dicere audemus, quia hæc *επιείκεια* legi immutabili suam vim ab hominibus perfectam obedientiam exigendi non adimit, ac vni-  
 ce circa eius *damnationem auertendam*, nullo modo autem circa eius *obligationem imminuendam* versatur, ceu hanc materiam accurate discussit D. SCHELWIG in *der untersuchten Safft- und Kraft-losen Abfertigung D. Speners cap. 4. §. 5.* nec dicendum est, quod secundum *perfectionem partium legem seruemus*, quia nostra obedientia vtrunque, & ratione partium & ratione graduum, manca & mutila est. *Iac. II, 10. cap. III, 2.* (4) Quod legalis sequela sit successiua, & ratione subiectorum quoad gradus inæqualis. *2 Cor. IV, 16.* (5) Quod hæc ad *actiones morales* a Christo præstitas tantum extendi debeat, errares enim, si in actionibus *satisfactoriis* Christum imitari velles, falleres, si actiones eiusdem heroicæ, qualis e. gr. fuit eiectio Trapezitarum *Io. II, 15.* & ambulatio in mari *Matth. XIV, 25.* ad imitationem traheres, pariter ridicula fusciperes, si minima quæuis a Christo peracta, quibus pedilauium annumeramus *Io. XIII, 45.* vt & vestimenta Christi, similiter instituere contenderes, discas potius ad exemplum Christi temporari & moribus quarumuis regionum cedere. Saniora nobis amulaturis commendat Christus *Matth. XI, 29.* vid. b. D. IO. GERHARDI *schol. pietat. lib. 2. cap. 16. p. 378. sq.*

§. XXII.

Assuerantes, Christum esse vnicum sequelæ euangelicæ obiectum, vt & optimum, ac perfectissimum legalis obedientiæ exemplar, non negamus, quin aliorum sanctorum, qui omnibus viribus studio sanctimonix incumbunt, exempla in sectanda pietate ante oculos ponenda sint, singulis eorundem actionibus ad Lydium scriptu-

scripturæ lapidem examinatis, quo, quæ malæ sint, euitentur, &, quæ bonæ, exercentur, ideo etiam tot pietatis documenta nobis sacræ exhibent literæ, vt nos ad imitationem inuitent, hanc subinde expressis verbis inuungentes, v. gr. exemplum Prophetarum *Iac. V, 10.* Iobi & Eliæ ibid. in specie laudatorum. Quapropter luculenta pietatis specimina aliis præbeamus, necesse est, solliciti, ne nostræ actiones ansam peccandi aliis faciant. Interea & hic monebimus, quæ in præced. §. quoad exemplum Christi allata sunt, vt sc. in *moralibus actionibus* saltem sanctos viros imitari debeas, ille enim insanam mentem proderet, qui zelum Pinehæ, atque zonam Iohannis Baptistæ pelliceam affectaret. Deinde, vt actus indifferentes a sanctis admissi, accurata omnium circumstantiarum ratione habita, nihil vitii in se contineant, si exercentur, cuius generis sunt *iucundi ioci*, non lædentes Dei honorem, aut mordentes proximum in eius perniciem promouendam, quibus Eliam *1 Reg. XVIII, 27.* atque Paulum *2 Cor. XII, 13.* vsos fuisse legimus. Paulus *Ephes. V, 4.* non omnem *εὐτραπελείαν*, sed eam, quæ est *κατὰ ἐκ ἀνήκοντα* & cum *αἰσχρότητι* ac *μωρολογία* pari passu ambulat, iisdemque ceu synonymum per particulam *ἢ* iungitur, prohibet christianis.

§. XXXIII.

Ad probam sectatoris mentem requiruntur (1) *sinceritas*, quæ consensu externarum & internarum actionum, cordis & oris absoluitur, atque fidelem ab Hypocritis discernit. *2 Tim. III, 2-5.* (2) *Simplicitas*, quæ rationis humanæ audaciam in mysteriis fidei & mandatis diuinis diiudicandis excludit, atque honorem Dei, non vana & illicita, pro fine habet. Cuius respectu via cœlestis, in qua ad cœlica regna itur, ardua & angusta dicitur *Matth. VII, 13. 14.* quia plerique præscripta salutis media carnaliter diiudicant, aliamque viuendi regulam sibi fingunt. Idcirco glorificat Christus Patrem suum *Matth. XI, 25.* quod, postquam aliam præter se salutis viam Pharisæis abscondisset,

set, non mutando œconomiam suam per Christum solum omnes saluandi, gratiosam hanc dispositionem humilibus, & rationem captiuam ducentibus, notam fecisset. (3) *Perfectio*, qua ad quæuis præcepta diuina se vitamque totam componere studet. (4) *Puritas*, quæ solis Dei præceptis nititur, spretis cerebri humani traditionibus.

§. XXXIV.

Omniū præcipua est *constantia in sequendo*, siue non interruptam, quæ rarissima est, siue *finalem* ac ad extremum vitæ halitum durantem in genere intellexeris, non enim iuvat bene cœpisse, nisi bene continuetur, neque prodest bene continuasse, nisi bene simul finitum fuerit. Sola hæc finalis sequela, quatenus euangelica est, licet semper coniunctam sibi legalem habeat, saluifica est. *Apoc. II, 10.* Plurimi itaque interest obtentam semel fidem conseruare (*Hebr. III, 14.*) ne gratia excidamus, cum timendum sit, ne improuisa mors nondum reuerfos gloria simul priuet, ast maximi refert hanc fidem, circiter articulum mortis conseruatam, in eodem arctissime retinere, quo qui per fidem iustificati fuimus, supremum iustificationis fructum, nempe vitam æternam, obtineamus.

§. XXXV.

Ex his sequentia asserta prono alueo elicimus. (1) Quod multorum intellectus a spiritu sancto circa sequelam Christi illuminetur, quorum voluntas ad hanc inchoandum vel ad tempus vel nunquam se flecti sinit. Vtraque enim sequela veram cognitionem, quomodo instituenda sit, prærequirit, antequam instituatur. Iam sæpissime contingit, vt, qui gratiam illuminantem admiserit, gratiam *totum regenerationis* conferentem proculcet, durante adhuc cognitionis veritate. *2 Petr. II, 20. 21. Act. XXVI, 28. cap. VII, 51.* non refragante *Iac. III, 15.* vbi tantum *auð áðeica carnalis*, qua quis vltra scripturam sibi sapere videtur, *diabolica* appellatur, quam sententiam de vera irrogenitorum illuminatione

E

tionem

tionē ab exceptionibus aduersariorum abunde satis vindicauit b. D. IO. GVIL. IANVS in *theosophia orthod.* (2) Quod multi Christum ad tempus vere sequantur, postea a fide descedentes, nam *Luc. VIII, 13.* per radicem hic intelligitur radix *perseuerantiæ.* (3) Quod multi denuo reuertantur. (4) Quod etiam iis, qui circiter finem vitæ reuertuntur, ianua gratiæ, per quam gloriam consequuntur, pateat. (5) Quod fideles in hac vita dici nequeant *beati*, hac voce de *vita æterna* accepta; alioquin ii salutem consecuti essent, qui ad tempus Christum secuti sunt, postea descedentes & nunquam reuertentes, vltimum hocce demonstrante b. D. IO. GEORG. NEVMANNO in *dissert. de victoria ante braheum* §. 22. sq.

## §. XXXVI.

Itisi adeo, quotquot sectatores Christi esse desideramus, nos ipsos abnegare, crucem nostram in nos suscipere, atque vere, sincere, & constanter saluatorem sequi, in *mediis*, quibus hæc omnia obtinentur, atque continuantur, *circumspecti esse implicite simul iubemur*, non enim per nudam a grauioribus peccatis abstinentiam, tanquam meram conditionem ex parte subiecti requisitam, producuntur, nec per semel adhibita media eo pertigisse sufficit, sed velut per hæc vires spirituales collatæ sunt, sic quoque per eadem porro augendæ & corroborandæ sunt. Hæc media sunt verbum & sacramenta. Rationis capaces per verbum regenerantur *Iac. I, 18. 1 Petr. I, 23.* & ad amissam verbi vitam suam dirigunt *Pf. I, 2.* Baptismus dicitur lauarum regenerationis & renouationis *Tit. III, 5.* per sacrae cœnæ usum Christo arctius vnimur, vt in eo, ceu palmites, fructum feramus. Suo modo ministerium ecclesiasticum inter media locum tenet, quatenus ministri ecclesiæ verbum & sacramenta in vsu constituunt, & hominibus regenerandis ac renouandis autoritate Dei secundum Christi institutionem applicant. *1 Cor. IV, 15. 2 Cor. XI, 2. Gal. IV, 19.*  
 Quæ media ab exceptionibus recentiorum liberauit  
 b. D. IO.

b. D. IO. FECHT in *biga schediasm. Antisarat. de necessitate baptismi*  
 & canone interno, quo B. L. remitto.

§. XXXVII.

Aditum sequentibus monitis hæc aperiant. (M) soli reuelato verbo credendum est, *Gal. VI, 16.* idcirco Angelicæ apparitiones potius deprecandæ, quam apprecandæ sunt. Ecstasies non sunt sperandæ, immediatæ reuelationes non expectandæ, cum, quæ in scriptura promissæ sint, complementum suum circa initium N. T. assecutæ sint. Neque spiritus quidam, *ab anima distinctus*, tanquam *canon internus*, fingendus est, nam *1 Theff. V, 23.* atque alibi anima & spiritus vnâ eandemque hominis essentialem partem denotant. (2) Verbum in publicis cœtibus diligenter audiendum est, vnde verbum auditus dicitur *1 Theff. II, 13.* (3) Idem intra priuatos parietes ruminacione sedula repetendum est, ita tamen, vt publici conuentus non negligantur *Act. XVII, 11.* (4) aliis, accurate seruato ordine diuinitus præscripto, inculcandum est *Coll. III, 16.* ab hoc ordine recedunt moderna conuenticula, quippe quæ variis deprauantur circumstantiis *Io. XVIII, 20.* (5) Infantibus baptismus mature conferendus est, ne medio regenerationis destituantur *Marc. X, 14. coll. Io. III, 5.* (6) Baptismus olim susceptus quotidiana memoria repetendus est. (7) Sacra cœna deuote atque frequenter vtendum est. (8) Huius publicus vsus priuato, extra necessitatis casum neutiquam fouendo, multum præstat. *1 Cor. XI, 22. Ebr. X, 25.* (9) Ministerium ecclesiasticum pro diuino beneficio reputandum est *Eph. IV, 10. 11. Act. XX, 28.* (10) Qui huic præsumunt, debent esse reuelati verbi tenacissimi, & secundum analogiam fidei prophetare *Rom. XII, 6. 7.* Hanc mittentes dicuntur Pseudoprophetæ pelle ouina ingredientes, intus existentes lupi rapaces *Matth. VII, 15-20.* vbi saluator falsos verbi diuini interpretes fugere iubet, qui externa pietatis specie infucati alios a Christi merito ad fiduciam in propriam perfectionem seducunt, per fructus confectaria, legitime ex eorundem doctrina deducta, intelligens.

(D) Sacramenta rite secundum institutionem Christi administrent parochi. (E) Doctrinam pia exornent vita, *i Tim. III, 15.* quo tam respectu puritatis doctrinae, quam integritatis vitae salvi, luci & ciuitati in monte sitae similes se praebeant secundum monitum Christi *Matth. V, 13 - 16.* (F) Auditores horum doctrinam ad normam sacrarum literarum assiduo reuocent *i Io. IV, 1.* (G) Ad vnum omnes salutem suam cum timore & tremore operentur *Phil. II, 12.* ordini diuino sese in negotio salutis submittant, cauentes sibi, ne gratia Dei impietate, & praesertim securitate, aut superstitione, in quas corrupta caro maxime propendet, repellatur.

§. XXXVIII.

Operæ pretium est velut in transitu ostendere, in quantum experientia spiritualis ad abnegationem sui ipsius & sequelam Christi faciat. *Ex saepius iteratis sensibus motuum,* quos circa animam nostram efficacissima spiritus sancti gratia exercet, *accuratior eorum observatio oritur,* quae spiritualis experientia audit. Hæc nimirum, acquisitam antea, notitiam confirmat atque corroborat, expertamque ad ea alacrius exercenda commouet, quae a spiritu sancto edoctus est, ac ad quae per motus internos animaduersos exstimulatur, *Io. VIII, 31.* nullo modo autem *pro principio credendorum atque agendorum* habenda est spiritualis experientia, quia (α) vera notitia rerum spiritualium experientiam earundem antecedit, adeoque hæc illam sequitur, & ea notitia sola niti debet, ceu principio. (β) quia datur talium thesium notitia, quas nemo experiri potest, vt *dari sacrosancti Trinit., Deum humanam naturam assumfisse, spiritum sanctum procedere a patre & filio &c.* (γ) quia ea etiam nosse oportet, quae nemo experiri debet, e. gr. peccata cuiusuis generis & atrocissima quaeque, in quantum sunt transgressiones legis, quum tamen legis transgressionem experiri non necessum habet, qui alium ab iis abducere vult.

Quem-

Quemadmodum medico opus non est, si mederi velit morbis, vt ipse etiam omnibus illis morbis laborauerit, quibus medelam parare vult, & quod neuiquam rite perfungi queat officio, aut morbos per idonea medicamenta pellere, nisi & ipse aculeos morborum quorumlibet fuerit expertus. (d) quia saepe cessat spiritualis experientia, manente adhuc notitia, quod in tentatis obseruamus. (e) quia notitia ex verbo reuelato hausta nos conuincit, motus istos, quos experimur, spirituales esse. His igitur attendere multum prodest ad confirmandam iam acquisitam notitiam, huic tamen non praefertur, nec experientiae credendum est, nisi in quantum notitiae conformis est. Praecipue tentatos non ad hanc, sed ad solum Dei verbum amandare oportet. Excusserunt argumentum hoc cum cura b. M. FERBER sub praesidio b. D. WERNSDORFFII in disput. de *theologia experimental*, & ipse b. WERNSDORFFIUS in epist. eidem annexa ad FERBERVM. b. D. MICH. FOERTSCHIVS in *nucleo controuers. recent. diff.* 3. §. 14. cel. DN. D. V. E. LOESCHER. *Timoth. verini part. I. cap. 9.* §. 24-30. p. 524-532. succincte rem complectuntur auctores Derer Unsch. Nachr. 1716. p. 314-318. Agnouit rem ipsam b. SPENERVS *theol. Bedencken part. III. cap. VI. artic. I. dist. 4. sect. 20. p. 580. sq.* loco certe notatu dignissimo.

§. XXXIX.

Coronidis loco asserimus, quod nemo infallibiliter scire queat, vtrum alter Christum vere sequatur, an speciem tantum externam praeseferat. Amor quidem Christianus de singulis bene sperare iubet, quorum impietas nondum patescit, ignorat tamen, quinam sinceri sint, aut infucati, ignota quippe est & commentitia talis sympathia spiritualis, quali infallibiliter conuinceremur, quod hic vel ille verus Christi sectator esset, cum (a) fides in corde fundata soli Deo nota sit, (b) *1 Cor. II, 11.* atque exemplum Eliae ignorantis septem millia eorum, qui

genua Baali non flexerunt, 1 Reg. XIX, 18. coll. v. 10. & Rom. XI, 34. contrarium testentur. (γ) tristissimi euentus docuerint, quod haud pauci ab hac opinione imbuti pro fratribus in Christo declarati, vulpinas astutias postea prodiderint, & tandem ipsi *creduli* senserint, se misere decptos a versipellis. Hanc notitiam discernendi Hypocritas a sinceris sectatoribus soli omniscio numini tribuimus, ac omnibus serio commendamus pectoris sinceritatem, iubemusque cauere, ne animum inducant, se posse fucum facere Deo, & eius omniscientiam fallere. Latius hæc persecutus est b. IO. FECHTIVS in habita Rostochii 1708. *diff. de manifestatione occultarum cordis cogitationum in locum 1 Cor. XIV. 24. sect. 2. §. 21. 22. 23. p. 67-72. atque lect. super syllog. disput. 32. §. 3. p. 376. sqq.*

## §. XL.

Temporis atque pagellarum angustia hic subsistere iubent, missa vltiore eorum, quæ tetigimus, explicatione, quæ circa differendi amplissimus campus esset. Scopo meo satisfeci, si haud fucatis, quos patria mea alit, diuinæ sapientiæ mystis breuissimo specimine, & vel digitum saltem in disseminatas recentiori ætate hypotheses intendendo, ostenderim, quod intra exoticum biennium ductu eruditissimi PRAESIDIS τῆ διδαχῆ πικρῶ λόγῳ καὶ ἐπιγνώσει κατ' εὐσεβείαν, quantum Deus & dies concesserit, incumbere mens fuerit & animus. Tuum erit, L. B., secundum charitatem, qua flagras, Christianam tenerimos immaturi ingenii fructus, ac imprimis intentionem differentis æqui bonique consulere.

Vale &amp; faue.

SOLI DEO GLORIA,

Dum

**D**V<sup>M</sup> docto doctus sub Præside docta tueris  
Accipe, quid subeat pectus, Amice, meum;  
Non satis est Fido, didicisse fideliter artes;  
Et prodesse suis, Fidus, Amicus, amat.  
Hancce Tibi fidam grator mentem, atque peropto  
Ut faueant cæptis Dii quoque, Fide, Tuis.

*Gaudium suum, ob æque piam ac doctam differ-  
tationem Amici sibi coniunctissimi, con-  
ceptum, declaraturus scribebat*

G. F. RICHERTZ,

Megapolitano-Boitzenburgensis, SS. Th. & Ph. Cult.  
Oppönens.

**F**ELIX qui poterit rerum cognoscere causas,  
Felix qui rerum signaque scire potest.  
Hæc si quis norit procul hinc arcebitur error,

In quem { signi } expers præcipitatus abit.  
          { causæ }

Inuentis signis distinguere cuncta valemus;  
Dextera sic quæ sint, quæque sinistra, patet.

Ac rationem vbi perspectam pugnare videmus,  
Quam certi nostræ possumus esse rei.

Felicem TE Fautor Amice! Scientia reddit,  
Cultus diuini dum sua signa refers.

Hinc recte poteris vitare pericula vitæ,  
Quando modum cultus eligit illa nouum.

Optima cognitio, qua TE voluit DEVS auctum,  
Constanti praxi iuncta sit ipsa, rogo.

Hi nam Doctores semper placuerunt, docenda  
Qui faciunt, plus quam qui facienda docent.

Sic

Sic pede tV celeri diuinum ornabis honorem,  
Et patrii coetus cura salutis erit.

Patria } mox reddet TE terque quaterque beatum;  
Dania }  
Tuncque tVI memorem mente repone tVA!

*Animi longe candidissimi ac gratissimi tesseram datu-  
rus, haec ante discessum quaeuis felicia appreca-  
turus haec scripsi Dn. Auctoris  
cupidissimus, obseruantissimus*

IO. FRIEDER. CRAMER,

Idsteina-Nalfoicus, SS. Th. Cult. Opponens.

**D**er, welcher allzuhoch der Sinnen Uhr-Werck spannet,  
Legt stolze Schloßer an; doch leider in Gedancken.  
Der, welcher die Vernunft fast aus der Welt verbannet  
Läßt andre immerhin mit leeren Schlüssen zancken,  
Und streicht ein Todten-Grab; doch nur vergebens, an.  
Allein der ist beglückt, wer beydes fliehen kan.  
Da nun, Geehrter Freund, kein künstlich Werck der Spinnen,  
Kein angestrichner Schein der Heuchler dieser Zeiten  
Bey Dir nie einen Schein der Frömmigkeit gewinnen;  
So wird noch ferner Gott den rechten Weg Dich leiten.  
Er lasse Deinen Fleiß nie ohne Früchte seyn,  
Und führe Dich beglückt ins Vaterland hinein.

*Mit diesen wenigen Zeilen wolte dem Hrn. Auctori zur ge-  
netigten Erinnerung sich empfehlen und seine dienstli-  
che Ergebenheit an den Tag legen*

Alexander Bromberg,

Bremenfis, SS. Theol. Stud.











